



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

§. V. Conscientiam in actionibus decernendis sequi posse sententiam
probabilem, auctoritate, & communi toto orbe proborum praxi probatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

S. V.

Conscientiam in actionibus decernendis sequi posse sententiam probabilem, auctoritate imprimis, & communi, toto orbe, proborum praxi probatur.

29. **E**T primò quidem auctoritate, è communi & peruulgato grauiſſimorum Theologorum ſenſu & conſenſu petitâ, firmanda eſt hæc res. Scio equidem Wendrockium iſtud argumenti genus contemnere; illudque facilè repulſurum, ſi contra ſe, pro *decem Caſuiſtis*, id eſt Theologiſ, *producantur decem millia*, prout jactat, glorioſè enim uerò, ſed neſciò an ſatis ſobriè: quid enim aliud dicat in foro rabula? Operæ pretium tamen me facturum exiſtimo, ſi quàm magnificè de Theologorum, vnanimiter in vnâ ſententiam conſpirantium auctoritate, ſenſerit Eccleſia Catholica, in medium proferam: non ut Wendrockium nimix inſolentiæ diſpudeat, fruſtrâ enim id agerem: later in tenebris, & in tenebris facilè perfricatur frons; ſed ut nemo Catholicus diſteriis eiufmodi moueatur, quæ per Theologorum latus, ipſam Eccleſiæ authoritatem dignitatemque impetunt. Notæ ſunt Lutheri Caluinique fraudes, nota artificia; omnes præ ſe contemnunt hodiernos Theologos; Theologiam modernam à multis ſæculis non niſi cymmerias clamant eſſe tenebras; & ne ex hæc parte obruantur, auctoritatem illis conantur detrahere, arma inquam, quibus ſe vident illicò debellandos. Neque multis tamen lubet, Theologorum vnanimi conſenſu rem vnâ docentium, auctoritatem aſſerere: Patrum in Concilio Vienneniſi, Summi que Pontificis Clementis Quinti, hoc eſt Eccleſiæ totius ſenſus Catholico homini hæc in parte ſufficiet. Cùm itaque diſputatum fuiſſet in Concilio, an paruulis in Baptiſmo præter originalis peccati condemnationem, etiam Gratia ſanctificans Virtutesque infunderentur; & veteres quidem aliquos Theologos pro ſe haberet durior id negantium ſententia, modernorum autem vnanimis conſenſus pro pueris ſtare; ita rem definit cum Concilio Pontifex. *Verùm, quia quantum ad effectum Baptiſmi in paruulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi contrarias opinio-*

Quanta in Eccleſiâ auctoritatis ſit communi Theologorum conſenſus.

Theologos contemnere hæreticorum mos eſt.

Vide ſupra n. 16.

Clementina vnica de ſumma Trinit.

nes habuisse ... Nos opinionem secundam (que dicit tam paru-
 uulis quam adultis conferri in Baptismo informantem Gratiam &
 Virtutes) tanquam probabiliorem , & dictis Sanctorum , ac Do-
 ctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem , sacro
 approbante Concilio, duximus eligendam. Hinc optimè ratiocinatur
 ad rem nostram Melchior Canus. Si ergo, inquit , in re, que olim
 inter ipsos etiam Scholasticos Theologos controuersa fuerat , opinio con-
 cors juniorum, tanti apud Patres in Concilio fuit : quanto magis nos,
 res omni tempore ab scholâ præscriptas tenere ac reuereri debemus? Et
 post pauca, sic demùm concludit. Scholæ igitur communem consen-
 sum, non nisi impudenter & temerè rejiciemus. Hisce fidem si non
 habeant aduersarii ; ego sanè fidenter dico, Ecclesiæ me judicio
 profus acquiescere. Credulitatis verò nimix si me arguant, istud
 cum D. Augustino constanter profitebor , credidisse me Ecclesiæ
 fame celebritate, consensione, vetustate roboratæ. Vos autem & tam
 pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium est, quin
 nihil dignum auctoritate præferatis.

Canus de
 loc. The-
 olog. l. 8,
 c. 4.

D. Aug.
 lib. de
 viil. cred.
 To. 6.

Sententiâ
 Communẽ
 libris im-
 pressis te-
 nuere au-
 ctiores cen-
 tum octo-
 ginta no-
 uem.

30.
 Ut autem constet quanto Theologorum omnium consensu
 recepta semper fuerit , quam proposuimus, sententia , exinde id
 conficitur , quòd ne vnus quidem sit Theologus aut juris Diuini
 humaniue Consultus in Ecclesiâ , qui contrariam sententiam li-
 bro impresso vniquam ediderit & propugnarit , præter vnicum
 Sinnichium & aliquot anonymos veteris Ecclesiasticæ auctori-
 tatis , vt sese jactitant, assertores. Nullus verbis expressis docuit,
 numquam licere ex opinione vllâ probabili quidquam agere sine
 peccato : item certò constare debere de veritate rei , antequàm
 Conscientia quidquam de re faciendâ definiat ; & nisi veritas ipsa
 attingatur, semper peccatum committi ; nullus inquam, isthæc
 dicta dixit, nullus docuit. Et ex aduerso, tam peruulgata est ,
 quam proposuimus , sententia , vt præter eos qui me fugerunt ,
 centum octoginta nouem sint auctores grauissimi , qui eam pu-
 blicè lucubrationibus impressis, Ecclesiâ spectante , Pontificibus
 consciis & approbantibus euulgarunt. Horum omnium auctorum
 nomina ad calcem hujus Tractatus quarti dabo ordine alphabe-
 tico. Inueniet in illo Lector Episcopos, Archiepiscopos, Cardi-
 nales, Doctores Theologiæ & vtriusque juris celeberrimos ; om-
 nium denique ordinum & Scholarum Magistros toto orbe cla-
 rissimos, vno ore sententiæ huic tamquam indubitatæ suffragari.

Et

Et quamquàm aliqui (pauci tamen) ex his inter se dissentiant , an ex duabus probabilibus, eligenda sit probabilior, an verò sufficiat probabilem esse, impunè vt possit eligi, tamen in hóc omnibus conuenit, certò & indubitato veram esse non debere semper opinionem eam quæ praxi à Conscientiâ adhibetur. Nam vt-cumque probabilior sit quæ adhibetur, numquàm tamen veritatem certò attingit, sed ratione tantùm probabili & verisimili; adeoque vltra probabilitatis terminos non ascendit. Omnes igitur hi auctores, nouis illis Theologiæ moralis, sed inauditæ, restauratoribus aduersantur; qui tamquam basim veteris austeritatis in Ecclesiam reducendæ statuunt, semper peccari agendo, cum veritas ipsa non attingitur: atque adeò sic ex opinione probabili agere, semper esse illicitum & culpæ obnoxium; quòd nempè veritatis non attingendæ, id est, peccandi formaliter, in-quiunt, periculum adeatur.

31. *Secundò* præter hos centum octoginta nouem auctores, scriptis egregiis claros, sententiam nostram asseruisse dicendi sunt Episcopi & Theologi, qui vniquam toto Christiano orbe, quæstionem aliquam Conscientiæ forum spectantem, ex opinione tantùm probabili deciderunt, licitumque iudicarunt quod fortè erat illicitum. Nisi quis sit adeò insolens, vt omnes illos spectatissimæ virtutis viros, lethaliter velit peccasse; atque adeò, cum populum in errorem induxerint nec vniquam errorem reuocarint, æternis esse ignibus condemnatos. Et quid si ex his multi, ab Ecclesiâ, Sanctorum Catalogo sint adscripti? Vt rem exemplo explicemus: approbati fuere Montes Pietatis in Belgio in quibus scænus enorme persoluitur, accepto pignore. Approbationi subscripsere Episcopi Belgii septem, teste Ludouico de Scildere, & in his Archiepiscopus Iacobus Boonen, & Gandensis Episcopus Antonius Triefst. Subscripsere præterea Doctores Theologi Louanienses octo, & inter hos Cornelius Ianssenius, postmodùm Episcopus Yprensis. Atque ex eorum iudicio, in hisce Montibus scænera per Belgium, etiam modò præstantur. *Et tamen*, inquit præclare Scildere, *non nisi probabilis est eorum iustitia: cum illis, in multis plures contradixerint, vt ex consultatione Episcoporum & Doctorum aliunde satis patet.* Aut igitur dicendi sunt, existimasse se ex probabili opinione legitimè & inculpate agere, aut sanè dicendi sunt, *cæci & duces cæcorum*; quòd non quæ tutiora erant, consulen-

Item omnes Theologi & Episcopi, qui ex opinione probabili casus Conscientiæ resoluerunt.

Scildere
de Consc.
tr. 2. c. 2.
§. 2.

confulentibus responderint. Et si ambo in foueam prolapsi sunt, tum qui Montium fœnora dixerunt esse licita, tum qui ea exege-
runt aut præstiterunt, jam sanè magna pars Belgii in æternum
corrui exitium.

*Item omnes
Doctores
Theologi
qui in A-
cademiis
sententias
probabiles
etiam juris
naturæ pro-
posuerunt
& propu-
gnarunt.*

Tertiò sententiam nostram liquidò profitentur, quicumque in 32.
Academiarum Scholis Doctores, disputationibus publicis & the-
sibus, vt solet, impressis proponunt propugnantque opiniones
probabiles, licèt oppositæ sint probabiles, quædam probabiliores,
omnes verò tutiores. Harum autem Thesium exhibitiones, in
omnibus toto orbe Christiano Academiis, sunt frequentissimæ.
Certè in folis Academicis publicisque Scholis Louaniensibus, ab
anno 1640. circa varias juris naturæ probabiles opiniones, pro-
positæ fuerunt & typis impressæ theses omninò quadraginta no-
uem; quas summâ diligentiam collegit Ludouicus de Scildere,
libroque suo inseruit. Operæ erit pretium eas isthic accurratè
expensas legere. Vbi & istud non indiligenter notatur, quasdam
ex illis à Doctoribus esse propositas, *qui tenent illicitum esse in ma-
teriâ juris naturæ, sequi opinionem probabilem, tutiore relictâ.* Verùm
hïc non hæro, fortius vrgenda est res.

Peto enim an quotquot sunt in Academiis Doctores, qui pro- 33.
babiles & non omnino certas discipulis sententias exposuerunt,
peccati mortalis statuendi sint rei, *quod nempe ceci fuerint du-
cesque cæcorum?* Deplorandam enimvero Magistrorum condi-
tionem, hoc si ita sit! non enim video quâ ratione sanctissimum
quemque, qui pro cathedrâ docuit, ab æternâ damnatione pos-
sim eximere; nisi istud dixero, omnes omnino docuisse quod
certum est, neque ad minimum quidem vnguem à veritatis a-
pice descivisse. Hoc autem quâ fronte quælo dixero, qui pas-
sim video à doctissimis viris contraria profus doceri, & quæ v-
trimque vera esse non possunt? alteruter ergo dicendus est er-
rasse. Et cùm nullus error, prout mordicus defendunt aduer-
sarii, à peccato errantem excuset, constat jam profectò al-
terutrum lethali crimine intricari: errorique, hoc est peccato
mortali immortuus si sit, ignibus æternis esse addictum. Enim-
vero manifestum hoc est aduersariæ doctrinæ consecrarium. Iam
autem sic pergo: ponamus inquam, duorum sanctitate & doctri-
nâ illustrium virorum, in contraria tamen abeuntium opinio-
nès, D. Bonaventuræ, inquam & D. Thomæ. Certè D. Antonino
teste,

D. Antonin. l. 1. p. tit. 3. c. 10. §. 10.

teste, sententia D. Bonaventuræ fuit, hominem in mortale scelus prolapsum, *teneri statim confiteri sub precepto, habitâ copiâ Confessoris.* Negat id tamen D. Thomas. *Beati Thomæ opinio*, inquit D. Antoninus, *communis tenetur, quæ tamen minus tuta videtur.* Ita ille. Ego verò rem meam sic absolvo. Neutra sententia certa est. Vtraque hætenus est probabilis, quamvis D. Thomæ sit probabilior. Alterutri ergo subest error, contrariæ sibi cum sint, & ex diametro oppositæ. Errorem itaque docuit aut hic aut ille; cæcus fuit alteruter & dux cæcorum. Alteruter itaque ex aduersariorum mente peccati mortalis reus fuit. Neque sententiam alteruter reuocauit, sed ei est immortalis: itaque mortali crimine implexus, ex hac vitâ discessit alteruter. Non enim per ignorantiam quantumuis inuincibilem, aut bonam fidem excusari quemquam à lethali crimine, palmarium est aduersariorum dogma. Aternis itaque ignibus addictus est alteruter. Et tamen legitime & Canonice Sanctorum numero adscriptus est vterque: canonizatus ergo est, totiusque Ecclesiæ cultui propositus, damnatus aliquis. Errat itaque manifestè Ecclesia quæ vtrumque Doctorem vniuersi n colit; cum certum sit, alterutrum æternis ignibus cruciari. Atqui hinc denique conficio, neutri, id est neque D. Thomæ, neque D. Bonaventuræ, sacros honores sine scelere posse exhiberi; cum certum necdum sit vter errarit, atque aded quemcumque colueris, manifestum subeas periculum, colendi aliquem inferni supplicii deuotum atque hostem Dei. Quæ omnia quàm sint absurda, quàm sint impia, & auditu horrida, nemo non videt nisi qui cæcus est, & cæcitate suâ nihilominus delectatur; renebrasque suas quamuis cymmerias, Soli vult offundere. Hæc tamen & plura eiusmodi dictu horrida, aduersariorum solemne dogma liquidissimè consequuntur. Quæ quidem numquam eneruabunt: neque Doctorum in ambiendis cathedris sollicitudinem, neque in exponendis sententiis studium, quantumuis sincerum, à peccato mortali eximent, quamdiu non fatebuntur, opiniones probabiles licitum esse Doctoribus docere, & doctis sequi.

34.

Quarto denique, in sententiam nostram conspirent necesse est, quotquot sunt in Ecclesiâ juris periti qui legum apices commentantur; qui intricatissimis juris adeundi, possidendi, dissoluenendi quæstionibus quotidie implicantur; qui in Senatu jura

Item omnes iuris-consulti, iudices, Consularii qui edant,

Q

dant,

opinione
probabili,
certa dant
responsa.

dant, mutant, adimunt; qui Regem Rerumque publicarum consiliis & administrationibus adhibentur. Nam cum id sit certissimum, plurima & fere omnia quæ aguntur, probabilibus tantum esse nixa fundamentis; nisi opinionem probabilem Conscientiæ efformandæ, prudenter, adeoque inculpate sese adhibere posse censeant, sanè actum est de omnibus; & jam fere perijt orbis vniuersus.

Omnes de-
nique toto
Christiano
orbe viri
probi &
cordati.

Dicendum est itaque non Theologos modò omnes, pro nostrâ stare sententiâ, sed & quotquot sunt viri sapientes & probi, qui eam dum factis sequuntur, calculum nobis adiiciunt, & iudicio suo censendi sunt eam approbare. Nisi profectò omnes hos sceleratos esse dicamus, & Cōscientiæ suæ dictamini pertinaciter refragari; quod horribile est auditu, & prorsus incredibile. Ex quibus omnibus istud conficio, probabilem vt minimum dicendam esse hanc sententiâ, siquidem teste Aristotele *probabilia sunt quæ videntur omnibus aut plurimis, aut sapientibus; & in his, vel omnibus, vel plurimis, vel maxime familiaribus & probatis.* Sapere autem velle præ omnibus & contra omnes, nescio an id sit admodum sapere. Illis autem rerum nouandarum cupidis, istud rursus ex D. Augustino ingeram: *Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium est quin nihil dignum auctoritate præferatis.* Interim istud meminerint Prophetæ Isaïæ oraculum. *Ve qui spernis, nonne & ipse sperneris?*

35.

Arist. 1.
Top. c. 1.D. Aug.
1 de Cred.
vilit.Isa. 33.
v. 1.

Sententiam
confirmat
auctoritas
D. Augu-
stini.

Tandem vt locum hunc ab auctoritate petatum concludam, tam clara est hæc in parte D. Augustini sententia, vt nesciam quo artificio possit obfuscari. Agit de viro iusto sub Imperatoris sacrilegi signis merente stipendia, & belli fortassis iniusti causam propugnante. Quæri posset an id licite agat? Respondet Sanctus Doctor. *Cum ergo vir iustus, si fortè sub Rege, homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo iubente bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans; cui quod iubetur, vel non esse contra præceptum Dei, certum est, vel utrum sit, certum non est: ita vt fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi: quanto magis &c.* Quid hæc auctoritate potest afferri euidentius in meam rem? Criminis absoluit Augustinus militem nefarii Regis auspiciis militantem, non tantum quando certum ei est, bellum iustum esse quod inferitur,

36.

D. Aug.
1. 2. 2. cont.
Faust. cap.
75. 10. 7.

ferur, sed etiam tum *cum certum ei non est*, bellandi causam esse iustam. Quod si autem de belli iustitiâ certitudinem non habet, sanè opinionem tantùm probabilem de æquitate causæ quam propugnat, habere dicendus est. Et tamen cum hâc agentem militem, Imperatorisque sui mandatis obsequentem, ab omni prorsus crimine absolvit Augustinus. Censet itaque manifestè, probabilem opinionem, ab omni culpâ, eam dum sequitur, Conscientiam excusare.

37. Verùm istud etiam ex hoc Augustini loco jam vrgeo. Quâ inquam, ratione aduersarii toties ingerant, eam D. Augustini mentem esse, semper peccari quoties etiam per errorem inculpatum veritas rei, aut iustitia actionis non attingitur; cum hîc euidenter asserat, *Virum iustum, si fortè sub Rege etiam sacri-lego militet, rectè posse illo iubente militare etiamsi fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi*, dummodo militi id non constet. Certum est enim si bellum iniustum sit, militis actionem iniustam esse materialiter, cum à iustitiâ causæ prorsus aberret. Aberrat miles, & tamen rectè eum militare & agere asserit Augustinus. Non igitur id ex Sancti Doctoris mente est, peccatum esse quod culpæ vertatur & vitio, quoties aut per errorem inuincibilem & inculpatum, aut per opinionem verè probabilem, à lege, aut à verâ Dei mente iustitiæ aber-ratur; quod tamen semper declamant aduersarii. Volunt illi semper peccato lethali esse obnoxiam actionem illam, quæ iustitiam rei non attingit. Et tamen ecce militem iniusto fortassis bello, bonâ fide dantem operam; sententiamque pronuntiat Augustinus, rectè id fieri. Sed satis sit; auctoritatibus datum est satis: rationibus altiùs promouenda est res.

§. VI.

Conscientiam in actionibus discernendis sequi posse sententiam probabilem, ratione demonstratur.

38. **E** Quidem scio, argumenti genus quod à ratione petitur, ab aduersarijs prorsus rejici, humanas per contemptum vocari ratiunculas, Aristotelica sophismata Ecclesiasticis dogmatibus

Q 2

non